

agnatus scripturâ non contineretur, præteriri  
 possit, propterea quòd ad legitimam tutelam  
 tunc demum perveniatur, cum testamentaria  
 planè cessat. *arg. §. 1. Inst. de Attil. tut.* Constat  
 etiam, quòd si, antequam tutor in testamento in-  
 utiliter datus confirmatur, alius à Magistratu,  
 cujus ea jurisdictio est, datus fuerit, postea illa  
 datio non revocetur. *l. si ut proponis. 3. C. de Con-  
 firm. tut.* Quanquam non facilè à iudicio testa-  
 toris recedi debeat. *l. si patronus. 4. ibi: iudicium  
 ejus sequendum. ff. de Confirm. tut.* maximè si fides  
 inquisitionis, ubi eà opus est, congruat. *l. qui tu-  
 telam. 28. §. ult. ff. de testam. tut.* nec utilitas pu-  
 pillorum aliud suadeat. *l. utilitatem. 10. ff. de  
 Confirm. tut.* Ex quibus mixtura tutelæ partim  
 testamentariæ, partim dativæ, circa confirmatio-  
 nem apparet. Eadem elucet etiam cum de satis-  
 dationibus est quæstio. Qui enim à patre, aut si-  
 mili personâ, inutiliter dati sunt, & sine inquisi-  
 tione confirmantur, perindè ac si ex testamento  
 tutores essent, satisfactione liberantur: *l. qui à pa-  
 tre. 3. ff. de Confirm. tut.* qui verò ab aliis dati sunt,  
 & ex inquisitione confirmantur: satisfactione,  
 non quâ testamento dati, sed quâ dativi, & in in-  
 quisitione idonei reperti sunt, liberantur. *princ.  
 Instit. de Satisd. tut.*

## XLV.

*An ut pater ex filii fam. tutoris administra-  
 tione in solidum teneatur, sufficiat eum  
 qualitercunque consensisse?*

C 1 Quæ